10

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE

Cortice Peruviano, usuque ejus in Morbis Febrilibus.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GABRIEL WYNNE,

CAMBRO-BRITANNUS,

Soc. Med. Soc.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

Principiis obsta; sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras. OVID.

In regard to the use of the Bark, I am convinced, that all the symptoms of the nervous fever indicate the propriety of exhibiting it, and I imagine, that, in general, the earlier we give it the better.

The late celebrated DR GREGORY's *MS. Lectures on* Nervous Fever.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, DCC, LXXIX.

Viro reverendo et erudito,

THOMÆ TREVOR,

DE OSWESTRY,

In Agro Salopienſi,

S. P. D.

GABRIEL WYNNE.

Non hoc opuſculum, Vir praeſtantiſſime, et mihi ſemper quam plurimi aeſtimande, tibi dico, ut beneficia a te accepta rependam, quae nunquam poſſunt penſari; ſed tantum ut ea in animum altius deſcendiſſe, quam ut mihi e memoria unquam poſſint excidere, gratus publice teſter Quaecunque ad ſanam in corpore ſano mentem ſervandam, quaecunque ad vitam tranquillam et ab omni parte beatam reddendam, accommodantur, ea omnia tibi abunde contingant.

VALE.

Dabam Edinburgi,
Idibus Juniis.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Cortice Peruviano, uſuque ejus in Morbis Febrilibus.

SIQUIS me turbam auctorum, quae jam nimia, augere velle, aut ulla gloriolae inanis cupidine inflammatum ad ſcribendum impulſum eſſe putabit, is haud dubie ex toto falletur. Namque ea Academiae lege, quae doctus indoctuſve, ingenioſus hebeſve, expertus inexpertuſve, ſi lauream Apollinarem velim mihi adipiſci, ſcribam jubet, coactus ad diſſertatiunculam ſubſequentem exarandum animum invitus

admovi. Cum vero res ita ſeſe habeant, ſtudium tempuſque, quam in cortice Peruviano rite conſiderando, melius poni non poſſe confido. Hoc enim remedium noſtro ſeculo, quo luxuria omnigena omnes hominum ordines corrupit et debilitavit, eoſque morbis, potiſſimum ad putredinem vergentibus, opportuniores, quam olim, effecit, omni reliquae materiae medicae, ſi mercurium, antimonium, opiumque, ſola forſitan excipias, ſummo jure anteponendum; et jam incolis Europae, quam aurum, argentum, et omnia alia malorum irritamenta, quae regio Peruviana iis ſuppeditavit, multo plus fructus veri ſecum evidentiſſime attulit. Quid enim cum eo comparandum; quid enim eo excellentius praeſtantiuſve eſſe poteſt, quod animo demiſſis hilaritatem, infirmis et irritabilibus vigorem, fato conceſſuris, quibus ob oculos jam nihil aliud quam mors ipſa horrenda, ſalutem, eamque multis in exemplis certam et haud dubiam, plane promittit?

HISTORIA CORTICIS.

Quae arbor hunc corticem edit, ea in monte *Cajanuma*, qui ſeptem paſſuum millia aut circiter a *Loxa* in regione Peruviana, auſtrum verſus diſtat, creſcit. Hinc ſaltem cortex ad Europam primum fuit apportatus. Arbor autem non monte ſupra comprehenſo ſolo continetur, ſed in locis Peruviae diverſis, ut vir celebris *De la Condamine* memoriae prodit, reperiri ſolet. Tres hujus arboris ſpecies offenduntur, alba, flava, rubra. Prima cacuminis montani reliquis appetentior eſſe videtur, et diverſitatem forſitan ſibi propriam non aliunde, quam a frigore cui ibi objiciatur intenſiore, adipiſcitur; namque cortex, qui locis in calidioribus gignitur, plurimum virtutis creditur habere. Flava et rubra, contra, ab hac ſejunctae creſcunt, et inferiora montis et loca potiſſimum, ad quae ventus friguſque difficilius accedunt, evidentiſſime amant. Quantum vires autem, quibus depellant morbos, ſpectat,

tat, reliquas ſpecies antecellit rubra. Quam arborem depingimus, ea ſe ad perpendiculum in aërem elevat, et non parum altitudinis ſatis diu creſcere permiſſa ſibi comparat. Non defuit, quae corpus humanum craſſitudine, quaeve ad minimum octo novemve digitos diametro adaequavit. Caeterum, arborem hujuſce craſſitudinis eo in monte, qui primum mortalibus corticem ſuffecit, hodie difficillime reperies; namque arbores, quae cortice primum orbatae fuerunt, jamdudum extinctae ſunt. Corticem enim arboribus ex toto detrahere mortem haud dubie aetate provectioribus, nonnunquam junioribus, infert. Cum vero tantum corticis per centuriam annorum proxime elapſam a Peruvia in regiones orbis terrarum diverſas fuerit aſportatum, nullae fere aliae quam juniores hodie ſeſe oſtendunt. Vir celebris ſupra poſitus *De la Condamine* ſe nullam arborem quae brachium humanum craſſitudine, aut duodecim quindecimve pedes altitudine, excederet, anno 1737 vidiſſe refert.

Quae

Quae arbor corticem Peruvianum edit, ea perpetuo floret, et folia, flores, et ſemina omni anni tempeſtate gerit. Superſtitio et ignorantia olim, ut cortex, luna decreſcente et orientem verſus, detraheretur ſuaſerunt ; caeterum experientia recentior hoc quolibet tempore, ſi modo rite exſiccari poſſit, abſque incommodo praeſtari poſſe, demonſtrat. Cum bona virtutis corticis Peruviani pars ab exſiccatione ejus idonea pendeat, moris eſt eundem detractum radiis ſolaribus conſtanter objicere, donec notae humiditatis non amplius ſeſe oſtendant.

Species corticis, cui nomen corticis Peruviani foeminei inditum eſt, ante aliquot annos ab America ad Europam adlata eſt. Hanc vero in auxilium morborum, quam genuinam, in cujus locum apud Gallos frequenter ſuffecta, cuive ſaltem admiſta eſt, multo minus promptam eſſe experientia docuit. Hoc tandem adeo innotuit, ut lex fuerit lata, quae eam importari vetuerit. Multo craſſior, a parte externa magis albida,

ab

ab interna rubrior, odorem et ſaporem corticis genuini propria minime adaequat.

Quinetiam terrae, quae Regi Britannico parent, ſpecie arboris illius, quae corticem Peruvianum progenerat, minime deſtituuntur. Hanc enim in inſula Jamaicenſi, ubi artem chirurgicam et medicam cum ſummo aegrotantium ſuae curae demandatorum commodo, et non abſque ſua maxima laude multos per annos exercuit, vir celebris Dr Gulielmus Wright nuper offendit. Haec autem ſpecies, inquit ille, in agris lapidoſis, prope littus marinum, in parochiis Hanoverienſi et Sancti Jacobi, a parte Jamaicae ſeptentrionali, creſcere conſuevit. Inſuper, unam arbuſculam non procul a caſtello, apud locum quae *Martha Brae* appellatur, in parochia Trelaunenſi reperit. *Fagus marina* vocatur, et ad altitudinem viginti pedum, nonnunquam 40, aſſurgit. Truncus non pro ratione craſſus, ſed rectus, durus, tenax, et colore intus flavo-albidus. Rami et folia ſibi invicem opponuntur. Frondes colorem fuſco-viridem, germina tenuiora caeruleo-

caeruleo-viridem habent. Menſe Novembris germinat, et ad Februarium uſque florere pergit, eodem ramulo flores et pericarpia matura gerens. Flores colore fuſco-flavi, et pericarpia nigra. Haec matura duas in partes ſeſe diffindunt, et cum fuſcis compreſſiſque, quae gerunt, ſeminibus chinchonae officinalis propria, ut exemplar quod vir ingenioſus ſolerſque mihi dedit plane evidenterque oſtendit, ex toto reddunt.

Cortex hujus arboris extrinſecus plerumque laevis et canus, quanquam nonnunquam aſper et ſcaber. Rite exſiccatus intus colore admodum fuſcus. Cuticula corticis arborum ampliorum albida, aſpera, ſulcata, et inſigniter craſſa. Haec ex toto iners a cortice interiore ſeparari debet. Sapor ejus primum dulcis, raphani ruſticani aromatumque orientalium proprium nonnihil referens. Devoratus vero amaritudinem inſignem vimque, quae corticem Peruvianum deſignant, aſtringentem plane edit. His dotibus aquam et frigidam et ebullientem liberaliter impertitur. Vir illuſtris effectus

ejus,

ejus, potiſſimum in remittentibus, quae ſunt febres plagis in calidioribus maxime communes et funeſtae, ſaepe expertus eſt. Vomitum alvumque, ſi foret neceſſarium, prius movit; deinde ad corticem modo comprehenſum decucurrit. Ventriculum, ut notavit, firmavit, proclivitatem ad evomendum imminuit, humores primis in viis morbidos correxit, morbumque brevi depulit. His inductus, in omni exemplo, ubi medicamentum tonicum et antiſepticum deſideratur, non minus utilem fore exiſtimat *. Londini nuper febre in intermittente ſub forma pulveris datus, curationem aeque jucunde et cito abſolvit, ac ſi chinchona officinalis fuiſſet adhibita. Denique, ad eum in febre nervoſa, quae ſaepe apud Britannos epidemice graſſatur, et ventriculum firmandi cauſa, ſucceſſu cum proſpero fuit decurſum. Tres hujus corticis drachmae uni corticis aurantiorum adjunctae tincturam elegantem et gratam, et Huxhamiana celebri non minus efficacem, componunt.

Quantum

* Vid. philoſoph. tranſ. vol. 77. p. 2.

Quantum ad corticem Peruvianum genuinum attinet, in Europam fruſtulis magnitudinis diverſae importatur. Alia in calamos breves craſſoſque convoluta, alia compreſſa. Pars ejus exterior ſubfuſca, et plerumque aliqua ex parte muſco albido tecta; interior ſubflava, aliquantum rubra vel colore rubiginoſo-ferrea. Qui cortex optimus eſt, is in fruſtula eaque laevia frangi ſolet, et inter dentes friabilis evadit. Qui deterior, fractus lignoſus eſſe videtur, et inter mandendum in fibras ſeparatur. Prior in pulverem multo facilius redigitur, et eo in ſtatu colorem ſubfuſcum habet, pulverem cinnamomi referens, aliquanto pallidior. Cortex Peruvianus odorem levem, ad mucorem aliqua ex parte accedentem, adeo tamen aromaticum, ut non ſit ingratus, habet. Sapor ejus non parum amarus et aſtringens, os diu afficiens, et aliquanto caloris aromatici ſtipatur, qui tamen ad eum gratum reddendum minime ſufficit.

Virtus hujuſce corticis Indis circa annum 1500 innotuiſſe dicitur. Hiſpanis vero me-

dicamentum adeo utile, odio adverſus eos impulſi, per centuriam annorum dimidiumque fere poſtea celarunt, donec, uſu ejus Comitiſſa *del Chinchon* ad ſanitatem reducta, in illa orbis terrarum parte vulgo adhiberi coepit. Anno 1649, quidam e ſocietate Jeſu magnam ejus quantitatem in Italiam importavit, quae a patribus ejus ordinis, in partibus Europae diverſis, magno pretio fuit vendita. Circa idem tempus, aliquantum ejus a Cardinale *de Lugo* in uſum pauperculorum Romae fuit comparatum. Hinc varia nomina, qualia ſunt *Cortex pulviſve Jeſuiticus*, *pulvis patrum*, *pulvis Cardinalis de Lugo*, &c. cortex Peruvianus ſibi adeptus eſt.

Quam primum autem cortex Peruvianus in noſtram orbis terrarum partem invectus eſt, alii medicorum alia ſuper eo ſunt opinati. Alii dotes frigidas et narcoticas, alii calidas, alii alkalinas, ei ineſſe contenderunt, theoriis et conjecturis meris a vero detorti. Quidam uſum ejus viſcera magnopere infarcire affirmarunt; quidam, contra, eum, ut medicamentum,

camentum, in omnium morborum auxilium promptiſſimum, laudibus nimiis extulerunt. Rem vero ita ſeſe habuiſſe, non eſt cur mireris, ſi tecum reputaveris, experimenta, omnis in ſcientia certi et fide digni fontem et originem, nihil lucis aut rei medicae aut chemicae adhuc offudiſſe, et medicos praeterea, qualibus in morbis, quibus eorundem ſtadiis, aut qua quantitate formave corticem Peruvianum dare conveniret, nondum experientia, ſola in rebus hujuſmodi magiſtra, ſatis eſſe doctos. Verum corticis uſum illo tempore eouſque ignorarunt medici, ut ad eum in omni intermittente abſque diſcrimine, nec diatheſi phlogiſtica ſublata, nec primis viis rite purgatis, ſub initium protinus confugerint. Cum vero hac via curandi intermittentes in remittentes continuaſve vertiſſent, et viſcera quam maxime farcta reddidiſſent, quod acciderat, id non inſcitiae ſuae, quod fieri debuit, ſed cortici vitio verterunt. Hinc cortex Peruvianus famae ſuae jacturam immerito fecit, et non pauci eum *cane pejus* et *angue* vitare coeperunt, aegrotos

aegrotos ſibi commiſſos fato concedere, quam medicamenti unde tot mala viſa fuiſſent oriri periculum facere, pati ſatius ducentes. Non defuerunt tamen, qui in naturam ejus accuratius penitiuſque inquiſiverunt, et ne genus humanum, e remedio tam utili omiſſo, detrimentum irreparabile caperent timentes, ad eum in intermittentibus decurrere non dubitarunt, eo tempeſtive liberaliterque utentes. In his fuit Sydenhamius, cujus nomen, honos, laudeſque ſemper manebunt, qui quam late poſſet prodeſſe plane videns, non eum amplius intermittentibus et remittentibus circumſcripſit, ſed multis in aliis morbis, in commodum mortalium, adhibere audax incepit. Ad famam corticis diffundendam, quantum in ſe fuit, quoque contulit celeberrimus Mortonus. Horum virorum immortalium ſimiliumque laudibus elatus fama latius ſerpere, et ubique fere abſque noxae metu adhiberi coepit, donec eo claritudinis tandem proceſſit, ut vix hodie, quo ulterius progrediatur, habeat.

MODI

MODI CORTICEM ADHIBENDI DIVERSI.

Formae praecipuae, quibus cortex dari consuerit, quatuor sunt, substantia, nempe, infusum, decoctum, extractum.

1. *Substantia.*—Corticem hoc modo quam quolibet alio datum contra morbos longe efficaciorem esse, plerique medicorum, qui usu in practico diu sunt versati, opinantur. In hanc sententiam illustrissimus Cullenus, qui saluti mortalium per quadraginta amplius annos pro virili consuluit, quoque concessit. Nec rem ita sese habere mirum; quaecunque enim dotes cortici insunt salutiferae, eae omnes hoc modo conservantur, viresque suas illibatas in aegrotantis corpus edunt. In reliquis, contra, e cortice praeparatis virtutes hujus medicamenti nobilissimi per menstruum adhibitum non ex toto extrahi, dissipari laedive possunt, adeo ut efficacia

ficacia eorum cum ſubſtantiae minime ſit comparanda. Corticem quidem hoc modo ſumere multis aegrotis, potiſſimum ventriculo debili laborantibus, nauſeam graviſſimam movere ſolet, quod ſaepiſſime accidit, ſi ad eum crebro decurrere magnaque quantitate capere ſit neceſſarium. Hoc vero magna ex parte poteſt caveri, ſi paululum cinnamomi, extracti liquoritiae, vel ligni Campechenſis, ei adjunxeris, quod ſaporem ingratum magnopere imminuit. Si aeger electuarium quam ſimplicem pulverem malit, ex gummi potius quam ſyrupis conficiatur; illa enim ſaporem ingratum multo efficacius celant. Quandocunque cortex ſubſtantia adhibetur, in pulverem quam tenuiſſimum redigi oportere, memoria nunquam non teneatur.

2. *Infuſum.*—Experimenta a claro Percivallio inſtituta vinum Rhenanum, ſpiritum vini Gallici, aquam et ſpiritum rectificatum, corticis menſtrua eſſe, et primum quam alterum, aquam quam ſpiritum rectificatum, plus virtutis potentiaeque ejus extrahere ſolere,

ſolere, plane teſtantur. Cum cortex liquore ſpirituoſo maceratur, tinctura, cum aqua, infuſum appellatur. Tincturae autem ſpirituoſae morbis in acutis rarius parciuſque adhibendae, quod non parum ſtimulant, et igitur calorem, et omnia alia ſigna febrilia, augere periclitantur. Idcirco aqua ſimplex pleriſque in exemplis pro menſtruo multo tutiore habenda. Mollis, non dura ſit; nam illa multo plus virium corticis extrahit. Cortex frigidam quam bullientem virtutibus ſuis liberalius impertitur. Infuſum ex frigida paratum, ſi trituram adhibueris, fortius, et, ſi paulum cinnamomi ei addideris, gratius evadit. Quinetiam, infuſum, aqua calida trituraque adhibitis, validiſſimum comparari poteſt; ſed aroma per calorem diſſipatum amittitur. Infirmis et irritabilibus, qui corticem ſubſtantia ſumptum rejicerent, quod, cum ventriculo in poſterum difficillime ſoleat ſedere, ſumma cura cavendum, infuſum quam optime accommodatur. Si notae ſeſe oſtendunt, unde irritabilitatem ventriculi ſubeſſe ſuſpicemur,

ab

ab hoc incipere, deinde ad ſubſtantiam confugere, conveniet.

3. *Decoctum.*—Hoc linteo, cujus fila ſparſiora, colandum, et turbidum bibendum. Si manere, donec pellucidum evadat, permittatur, partes corticis efficaciſſimae ſubſident. Pars autem ejus efficaciſſima eſt reſinoſa, quae, quanquam calore aquae bullientis ex toto liqueſcit, non diu ſuſpenſa manet, ſed fundum magna ex parte brevi petit. Nihil aromatis in decocto reperiendum; calore etenim elevatum in aërem circumdatum diffunditur. Quantum ad ventriculum attinet, non ei ſubſtantia ipſa gratius eſt decoctum.

4. *Extractum.*—Hoc omnibus incommodis, quibus decoctum, patet, et praeterea plus minuſve detrimenti ab igne, quo exſiccatur, capere conſuevit; ſaporis enim empyreumatici expers rariſſime offenditur. Igitur, virtutes corticis propriae in eo non parum vitientur et corrumpantur oportet. Ventriculis infirmis, qui corticem ipſum nequeunt ferre, ut nonnullis placet, optime ſedet.

Non-

Nonnullorum ventriculi adeo irritabiles ſunt, ut omnes corticis formas ſupra comprehenſas omnino reſpuant, et infantibus raro perſuaderi poteſt ut tantum ſumant, quantum morbum quemlibet poſſit depellere. Igitur, in exemplis hujuſmodi, ad enemata confugiendum, quae ſucceſſu cum proſpero ſaepe, ut Lindus teſtatur, adhibita. Cum vero cortex hoc modo actioni ventriculi non objiciatur, auxilium certum ab eo minime ſemper ſperandum. Inſuper, partibus externis applicatus multum profuiſſe dicitur, quanquam exemplum hujuſmodi videre nunquam mihi contigit.

QUANDO QUAQUE QUANTITATE CORTICEM DARE CONVENIAT.

Experientia omnium quotquot corticem dare aſſueti ſunt, eum, diatheſi phlogiſtica ſubſtante, non adhibendum eſſe demonſtrat. Haec autem in tono vel contractilitate fi-

brarum muſcularium ſyſtematis arterioſi adaucta, ut Cullenus celeberrimus tradit, verave forſitan earundem contractione conſiſtit. Quolibet tempore ſubeſſe poteſt, ſed hyemali potiſſimum ſeſe oſtendit, dum frigus omnia denſiora et contractiora reddit; et igitur corpori humano firmitatem et plenitudinem quoque, perſpirationem imminuendo, praeter conſuetudinem magnam comparat. Cum diatheſis modo poſita proclivitaſve ad inflammationem adeſt, nondum febri juſta ſtipata, notis ſequentibus, pulſibus arteriarum validis et duris, rubore cutis inſolito, horroribus leviculis vixque percipiendis, indicari videtur. Quamprimum vero cauſae ſolitae febrim excitaverunt, ſignis hujuſmodi manifeſtioribus protinus deſignatur, ingrato univerſae plenitudinis ſenſu, calore magnopere aucto, arteriis violenter agitatis, rubore faciei, ſpiritu difficili, ſiti, lingua ſicca, alvo plerumque dura, &c. Si, rebus ita ſe habentibus, ad corticem decurritur, omnia ſigna brevi ingraveſcunt. Nec mirum, cum nihil fere in tota rerum

natura

natura poſſit reperiri, quod aeque ac cortex ad tonum arterioſum, qui jam nimius, augendum accommodatur.

Sin autem, contra, in pyrexia qualibet evidentes infirmitatis notae, ut totius corporis languor; ictus arteriarum celeres, parvuli, debiles; calor parum auctus; animus demiſſus; magna ſyſtematis irritabilitas, linguae manuumque tremoribus, tendinumque ſubſultu manifeſtata; ſudores vires corpori convellentes, non ſigna levantes, et alia hoc genus ſeſe in conſpectum dare incipiant; potiſſimum ſi corpus ad putredinem vergere plane teſtentur maculae et petechiae, foetor animae ſtercoriſque inſolitus, urina faeceſque abſque voluntate excretae, ſudores olidi, vires corporeae modum in mirandum imminutae, &c. ad corticem quam primum confugias, fiduciamque in eo praecipuam colloces, neceſſe eſt. Denique, in omni fere pyrexiae exemplo, ſi diatheſis phlogiſtica tantum ex toto deſit, nihil noxae a cortice metuendum. Immo, contra, eſt cur

auxilium

auxilium mirabile ſalutemque fere perpetuam ab eo ſperes.

Quantum ad quantitatem, qua cortex debeat dari, attinet, liberaliter adhibeatur, alioquin votis ad eum decurrentium ſaepe non reſpondebit. Portiunculae, quibus multi ſeculi ſuperioris medici uſi, magna ex parte in cauſa fuerunt, cur nihili apud eos fuerit aeſtimatus, multoſque morbos, in quorum auxilium promptiſſimus eſſe ubique hodie conceditur, non poſſe depellere creditus. Cum alii ventriculi quidem aliam quantitatem valeant ferre, nulla regula de ea, quae debeat adhiberi, certa tradi poteſt. Swietenius illuſtris * ſe integram pulveris unciam, abſque ulla noxa, mane jejunum, devoraſſe, memoriae prodit. Quinetiam, aegrotum novi, qui tres uncias cum quantitate vini rubri Luſitani non parva ſpatio triginta ſex horarum ſummo cum commodo ſumpſit. Denique vero, ſemper adeo detur, ut ventriculus ab omni moleſtiae ponderiſque

* Comment. in Boerhaavii Aphor.

que ſenſu et nauſea immunis maneat, et eum rejicere non periclitetur. Quo hoc contingat, prius doſes minores, deinde majores, ventriculi vires ſatis expertus adhibeas.

QUOMODO CORTEX AGAT.

Modi, quo hoc medicamentum jure nobilitatum effectus ſuos edat, explicationem nonnulli ex toto deſperarunt. Sententiae vero praecipuae, in quas medici conceſſerunt, duae ſunt. Alii efficaciam ejus a viribus antiſepticis, alii a tonicis, pendere contendunt. Illi modo ſequente ratiocinantur. Cum cortex in experimentis illuſtrium Pringelii et M'Bride, in nonnullis quorum carnem putridam rurſus incorruptam reddidit, vim ſuam antiſepticam extra corpus tantam eſſe oſtendat, cum nihil eo contra morbos ad putredinem vergentes efficacius ſit, cumque alia antiſeptica, ut radix gentianae,

anae, abſynthium, centaureum minus, et flores chamaemeli, quos cortici pares eſſe Pitcarnius celebris opinatus, ſaepe idem, quod ille, praeſtent, et intermittentes alioſque morbos, in quibus ſoleat adhiberi, depellant, ea potentia, qua putredini adeo evidenter occurrit, agat neceſſe eſt. Hi, contra, argumenta illorum ita convellunt. Quomodo, inquiunt, corticem intra corpus et extra idem agere noviſſe poſſumus, cum natura humorum canali alimentario proprii orum, et quantum e cortice extrahatur, et vaſcula abſorbentia ingrediatur, nos magna ex parte lateant? Praeterea, morbis, intermittentibus potiſſimum, laborantes, priuſquam virtutem antiſepticam in humores poſſit diffundere, ad ſanitatem non raro reducit. Quinetiam, memoria ſemper teneri debet, antiſeptica amara vim tonicam plane habere, ut in curatione dyſpepſiae, morbi a debilitate proficiſcentis, cui ſaepe medentur, videre eſt. His accedit, quod atonia in omnibus morbis, in quibus cortex adfert auxilium, evidentiſſima ſubeſt; hunc igitur illi

illi occurrendo agere in primis probabile. Quantum ad putredinem quoque attinet, ea vernis in intermittentibus, multiſque aliis vitiis, quae cortice curantur, deeſt; idcirco ſaepe nihil eſt, in quod potentiam ſuam antiſepticam poſſit exercere. Sin vero adſit, in eam plurimum poterit vi ſua adſtringente cortex, partibus, quae flaccidae nimiumque putredine ſolutae ſunt, tonum juſtum reſtituens; adſtringentia enim alia, ut alumen, &c. quod omnes norunt, proceſſui ſeptico efficaciter obſiſtunt.

His argumentis ſimilibuſque inductus, in ſententiam eorum, qui actionem corticis ſalutiferam a viribus ejus tonicis potiſſimum pendere opinantur, non ire non poſſum. Hae autem in partibus, unde conflatur, diverſis, adſtringente nempe, amara, et aromatica, nexu arctiſſimo vixque imitando inter ſeſe conjunctis, conſiſtere videntur. Nullum enim aliud aſtringens, amarum, aut aroma per ſe, nec omnia arte ſummaque induſtria commiſta efficaciam corticis adhuc exaequare valuerunt. Si denique rogetur,

quamnam

quamnam in ſyſtematis humani partem agat? in nervos ſolidaque viva reſpondere non dubitem. Namque puncto, et quaſi ſuccuſſu electrico, portiuncula ejus morbos ſaepe prius tollit, quam ſolida ſimplicia pervadere, humores ingredi, eoſdemve mutare, potuerit.

USUS CORTICIS IN MORBIS FEBRILIBUS.

1. *In Intermittentibus.*—Quae mortales ad has proclives reddunt, ea ſunt omnia quae vires corpori convellunt, et irritabilitatem ei comparant. In eos enim potiſſimum invadunt, quos victus tenuior, profuſiones ſanguinis ſerive nimiae, concubitus frequentior, defatigatio, morbi praecedentes, moeſtitia, mador frigori adjunctus, &c. debilitarunt; dum validi, pleni, opipareque viventes, ab iis immunes manent. Loca editiora et montana nunquam infeſtant; ſed in terris campeſtribus et paludoſis epidemice

mice graſſari conſuerunt. Hoc animadverſum in cauſa fuit, cur medici et ſeculi ſuperioris et noſtri eas ab inquinamentis paluſtribus excitari crediderint. Qua ratione quidem corpus humanum haec ita afficiant, ut paroxyſmi ſimiles, ex intervallis plerumque certis et definitis, repetant, dictu admodum difficile. Caeterum, ſingulorum e paroxyſmis cauſa proxima ſpaſmus cuti illatus eſſe videtur; etenim paroxyſmus abſque hoc nunquam accedit, et, hoc ſoluto, conſtanter decedit. Cum vero ſpaſmus hujuſmodi ſe tantum in corporibus debilibus et tenuatis oſtendat, ratio graviſſima non deeſt, cur eum ab atonia mera, quae, Hoffmanno judice, ſpaſmos facillime gignit, pendere concludas. Quicquid igitur atoniam tollere valet, idem ſpaſmo quoque totique morbo occurret. Nihil autem debilitati magis inimicum quam cortex Peruvianus. Multa vero, quominus ad eum ſub initium protinus confugiatur, ſaepe prohibent. Magna intermittentes varietate impertiuntur anni tempus, plaga, corporis ra-

tio. Quae vere mortales occupant, eae fere ſemper, ſi regio ad ſeptentriones vergat, plus minuſve inflammationis habent. Spaſmus ſummi corporis non tantum per paroxyſmum ſubeſt, ſed aliqua ex parte per apyrexiam ſaepe manet, eamque minus abſolutam facit. Quinetiam viſcera, praeſertim abdominis, non raro infarciuntur et tument. Rebus ita ſe habentibus, cortex non pro remedio, ſed pro veneno, foret. Tonum enim arteriis adeo intenderet, ut diatheſin phlogiſticam multo graviorem faceret, et intermittentem in continuam peſſimi generis mutaret. Auxiliis igitur, antequam tuto ad eum poſſit decurri, longe diverſis opus eſt, miſſione nempe ſanguinis nonnunquam ſaepe reiteranda, alvi purgatione, diaphoreticis. Cum vero tandem ſpiracula cutis ſatis ſunt aperta, apyrexia abſoluta reddita, viſcera interna mole humorum nimia liberata, et pulſus arteriarum e frequentibus duriſque tardi molleſque evaſerunt, locum cortici jam factum eſſe concludere licet.

Quae

Quae intermittentes autumno oriuntur, eae nullas plerumque inflammationis notas oſtendunt, ſed, contra, ad putredinem magis minuſve inclinant. Si diatheſis phlogiſtica ſubſit, haud dubie, ut ſupra comprehenſum, tollenda. Caeterum, pleriſque in exemplis, in iis etiam regionibus quae ſub ſeptentrionibus poſitae ſunt, ad corticem, primis viis tantum, ut virtus ejus ſyſtema abſorbens facilius ingrediatur, rite purgatis, extemplo confugi poteſt. Qui medicus hoc facit, is aegrotantis ſaluti optime conſulit; qui vero uſum chinchonae diem in longinquiorem differt, is nihil aliud plerumque quam vim morbo addit. Apud plagas calidiores, ubi corpus magis relaxatum et ad putredinem proclivius, omnis mora admodum periculoſa, ſaepe lethalis. Namque ibi intermittentes in continuas, quae medicamentis aegerrime parent, brevi verti, et febricitantem miſerandum ſubito conſumere ſolent. Igitur, quam primum febris intermittit, canali alimentario ſordibus liberato, ei cortice occurrere pro virili conandum.

Quantum

Quantum ad tempus, quo cortex debeat ſumi, attinet, omnes inter medicos convenit eum, paroxyſmo ſubſtante, adhibitum aegrotum jugulare. Hujus autem cauſa adeo manifeſta eſt, ut nullius explicationis indigeat. Alii vero uſum corticis paroxyſmi finem protinus ſubſequi, alii initium ejus paulo tantum praecedere oportere, contendunt. Qui corticem illo modo dant, ii prius quantitate majore, quam reditum paroxyſmi poſſint praecavere, uti coguntur, eique venienti minus certo occurrunt. Cum enim effectus ejus fugaces ſint, quo diutius quaelibet ante paroxyſmum quantitas adhibetur, eo minus in eum poterit. Semuncia, exempli gratia, doſibus majoribus minoribuſve, pro conditione ventriculi, ſpatio unius horae, aut circiter, ante acceſſionem paroxyſmi data, plus praeſtare conſuevit, quam duplex triplexve quantitas decem duodecimve horarum ſpatio adhibita. Votis igitur cortice hoc modo utentium multo certius reſpondebitur. Non quidem tamen diffiteor multos claroſque viros in priorem curandi

curandi viam proceſſiſſe, et intermittentes cito tutoque ſuſtuliſſe. Quamprimum paroxyſmo una alterave ratione fuit occurſum, corticem adhibere pergendum, donec tempus alterius tertiive praeterierit; deinde paulum intermittendum, et ad uſum ejus, ſed ſemper ex intervallis longioribus, aliquoties redeundum. Si alvum purgat, opium, ſi aſtringit, rhabarbarum, ei adjicere licet. Si viſcera abdominis obſtructionibus laborare ſuſpicaberis, ſales fixos alkalinos, ſalem ammoniacum, aliaque diaphoretica, ei admiſcenda curabis. Quantum quartanas ſpectat, quae reliquis depulſu difficiliores eſſe creduntur, eas cortex, ſatis diu liberaliterque adhibitus, nunquam non diſcutit. Curatio enim forſitan earum difficilis non aliunde, quam a cortice nimis diu ante acceſſionem adhibito, proficiſcitur. Rem ita ſeſe habere hoc teſtari videtur, quod omnes intermittentes, quo propius ad naturam continuarum accedunt, eo plus corticis deſiderant, aegriuſque curationem recipiunt.

Nihil

Nihil autem ab indole continuae quartana remotius.

2. *In remittentibus.*—Quanquam hae ab iiſdem cauſis, a quibus intermittentes, proficiſcuntur; ab iis tamen magnopere differunt. Signa longe graviora habent, quae tantum levantur, nunquamque ex toto decedunt. Multo citius quoque, ſpatio nempe duorum, trium, quatuorve dierum, curatione neglecta, parumve idonea, in continuas generis funeſti mutantur. Quinetiam inter ſeſe diſcrepant. Quae locis in editioribus longeve a paludibus oriuntur, eae ſemper leniores. Quae vero in regionibus depreſſioribus paludumque vicinis moventur, in iis ſigna graviora ſunt, minuſque evidenter remittunt, et putredo maturius accedit, colorem flavum in cutem oculoſque diffundens. In febribus hujuſmodi medicorum apud Europam moris eſt, ſanguinem ſub initium modice detrahere. Caeterum, ad finem citius forſitan tutiuſque perducerentur, ſi, in modum Indorum Orientalium et Occidentalium, a remedio, ſemper ancipiti, fac-

pe

pe exitioſo, ex toto abſtineretur. Primae viae tamen prius ſordibus, potiſſimum acri bile, quam cortex incipiat adhiberi, haud dubie liberandae. Hoc optime praeſtant, ut multis placet, ex antimonio parata, praeſertim tartarus emeticus parvis quantitatibus datus, et ita adminiſtratus, ut alvum potius moveat quam vomitionem faciat; totus enim canalis alimentarius adeo irritatur et dolet, ut hanc non facile poſſit ferre. Alvus etiam admodum leniter cauteque ſolvenda, ne excretiones nimiae fiant, vireſque aegroto convellant, quod nunquam hoc in morbo noxa gravi vacat. Antimonium hoc modo adhibitum ſigna levare ſolet, et ut remiſſio manifeſta citius accedat facit. Apud eos vero, qui regiones Zonam intra Torridam ſitas tenent, in locum omnium aliorum laxantium, ut accepi, ſubſtitui ſolent decoctum tamarindorum, ſal catharticus amarus Glauberianuſve, oleumque nonnunquam ricini.

Quantum corticem, a quo tempeſtive dato ſalus aegroti ex toto pene videtur pendere,

dere, ſpectat, alii eum, quamprimum remiſſio ſeſe oſtendit prima, rapidum morbi progreſſum excuſantes, qui, niſi ei in hac alterave occurratur, aegrotum brevi abſumere periclitatur, alii, praeſertim apud Europam, ſignis inflammationis, quae nonnunquam ſubeſſe videntur, ab uſu ejus tam maturo abſterriti, paulo ſerius, adhibere incipiunt. Caeterum multi, qui artem medicam per ſpatium annorum longum exercuerunt, remiſſionem apud plagas calidiores, ſaltem ubi notae diatheſeos phlogiſticae paucae nullaeve ſunt quae metum incutiant, nunquam expectandam; ſed, primis viis purgatis, ad corticem protinus confugi debere contendunt. In his eſt vir celebris, ſupra poſitus, Dr Gulielmus Wright, cui, utpote qui hujus rei haud dubie ſit expertiſſimus, ſummam fidem habendam duco.

3. *In continuis.*—Hae ſunt febres quae abſque intermiſſione vel remiſſione notabili ab initio ad finem uſque urgere pergunt. Febrium quoque, quae continentes appellantur, apud auctores nonnullos, mentio ſit, in

in toto quarum decurſu ne minima quidem ſignorum levatio ſe oſtendere creditur. Cullenus vero celeberrimus, multique alii, qui omnem laborem, omnem curam ſtudiumque in medicina excolenda conſumpſerunt, ſe nullas hujuſmodi febres offendiſſe affirmant. Revera quidem omnibus citius ſeriuſve ſigna ingraveſcunt, pleriſque, veſpere appetente, aliis meridie, aliis mane, &c. Si igitur tempus, quo ſigna etiam inflammationem habentium leventur, accurate poſſes notare, eo ad corticem ſucceſſu forſitan cum proſpero confugeres. Spem hujuſmodi, nec abſque ratione graviſſima, poſſe foveri demonſtrat, quod apud plagas calidiores in remittentibus, antequam ulla remiſſio accedit, quotidie fieri conſuevit. Idem magis etiamnum probabile reddent quaedam exempla, quae poſtea curabimus proferenda. In hanc autem curandi viam nemo procedat, niſi medicus ſumma prudentia ſolertiaque praeditus, qui omnia et aegrotum et morbum ſpectantia attentiſſimus conſiderabit, et delectum temporis rite habebit. Corti-

cem enim ſub initium continuarum, potiſſimum ſi diatheſis apparuerit phlogiſtica, ita dare, ut eas valeat tollere, non parum difficile, et intempeſtive praecipere, eſt opus aleae periculoſae plenum. Cum vero febres ſtragem per totum terrarum orbem horrendam edant, et longe maximam mortalium partem abſumant, nihil optabilius quam ut iis venientibus tuto poſſit occurri. Stahlio quidem ejuſque aemulis, qui febrim, qua nihil exitioſius in genus humanum ſaevire paſſa eſt ira divina, pro actu medicatrice et ſalutari habent, cui nunquam debeat obſiſti, potiſſimum vitio vertendum eſt, quod multo plura adverſus febres praeſidia apud recentiores non comparata. Ratiociniis enim illorum ſpecioſis, non veris, in errorem inducti, non ad febres ſub initia diſcutiendas, ſed ad vim earum per totum quod habent ſpatium moderandam, ſignaque graviora levanda, animum admoverunt. Caeterum, omnes abſint querelae, et ad inceptum veniatur.

a. *In ſynocha.*—Hanc ſub principia arcere nonnulli conantur. Quam diſcutiendi rationem adhibent, ea hujuſmodi : Sanguinem prius liberaliter emittunt, uti tonum arteriis imminuant, totumque ſyſtema relaxent. Deinde ad antimonium confugiunt, vomitionemque plenam, quae, ſanguine detracto, nihil periculi reperitur habere, concitant. Quinetiam optant, ut alvus eodem tempore fundatur. Caeterum neminem poteſt latere, perſpirationem liberalem ſolum movere, abſque ulla alia excretione, et remiſſionem ſaepe facere, et febrem nonnunquam finire. Antimonio autem, ſub forma pulveris Jacobi tartarive emetici, uti conſuerunt; et huic opium addere quidam non dubitarunt. Si hac via curandi vel febrem ex toto arcere, vel ſigna remittant facere poſſunt, uti bona ſua quam maxime certa et diuturna efficiant, et non amplius ſuſpecta habeant, ad corticem Peruvianum poſtremo decurrunt. Non eſt cur ne diatheſis phlogiſtica, quae modo in corpore fuerit dominata, eo renovetur metuas. Acceſſio enim ipſa

ipſa febrilis, quae vires corpori mirum in modum brevi convellit, et excretiones antimonio motae tantam debilitatem inducunt, quanta locum cortici juſtum facit. Tria quatuorve exempla ſola mihi contigit videre, ubi hujus medendi rationis periculum ſucceſſu cum proſpero factum. Caeterum in votis eſt, ut ad eam ſaepius decurratur, cum febres hujuſmodi ſpatium a natura datum explere permiſſae multos mortales extinguant; ut exemplum etiam Hippocraticum, qui, e quadraginta duobus febricitantibus ſibi commiſſis, viginti quinque morti tradidit, evidentiſſime docet. Febres hoc genus provectiores, nono decimove die, ut e praelectionibus ejus manuſcriptis diſco, antimonio liberaliter dato, nonnunquam diſcuſſit illuſtriſſimus Gregorius pater, quo nihil omni in re amabilius, nihil doctius candidiuſve, noſtrum vidit ſeculum. Si ſynocham, ut plerumque fit, pergere ſinas, et ſigna tantum levare coneris, locus cortici nullus eſſe poteſt, donec diatheſis phlogiſtica ex toto evanuerit, et febris ad finem fere fuerit perducta.

ducta. Hoc tempore adhibitus corpus longo morbi ſpatio debilitatum firmat, et ut aegrotus ad integritatem citius reducatur facit.

b. *In typho.*——Quae cauſae mortales huic febri opportunos efficiunt, eae plane tales ſunt, quales debilitatem faciunt et augent, profuſiones nempe ſanguinis ſerive nimiae, diaeta parca et aquoſa, affectus animi triſtes, ſtudium immodicum, metus contagionis, vita ſedentaria, et multa idem genus alia. Debilitas quidem ſignum morbi praecipuum eſſe videtur, et in univerſo corpore ſe ubique oſtendit, languore, animo demiſſo, vultu pallido, concavo; ictibus cordis arteriarumque frequentibus, debilibus, abnormibus; omnibus, febre ſaltem provectiore, quae magnam ſyſtematis nervoſi irritabilitatem ſubeſſe teſtantur, ut lucis ſonituſque intolerantia, ſubſultu tendinum, tremoribus, nonnunquam convulſionibus, &c. nimis evidenter deſignata. Hic omnia plerumque, quod nemo poteſt inficiari, inflammationi ex toto contraria. Cum hoc et praeterea quot typhus mortalium millia rapuerit, quotque ſingulis fere

diebus

diebus rapiat, mecum attentus reputo, non mirari non poſſum, medicis adhuc multis eſſe moris curationem ejus magna ex parte naturae concredere, quae jam tot in exemplis ſe prorſus indignam eſſe, cui tantum confidant, plane monſtravit. Febrim quidem incipientem vomitione diſcutere conantur. Hoc laudabile, et votis nonnunquam reſpondet. Hoſtis vero, qui prorſus ſuperatus eſſe viſus, ſaepe formidoloſior redire conſuevit. Quid in cauſa? Nihil aliud certo, quam quod ei propulſo non inſtant victoriaque utuntur. Si vomitio, quae antimonio plerumque ſoleat moveri, non morbum tollat, cur nihil aliud longum per tempus, quam ſigna portiunculis ejuſdem medicamenti, quod eos jam fefellit, levanda ſuſcipiunt? Cur non auxilium certius efficaciuſque aliunde petunt? Cur non ad corticem Peruvianum, cui hoc in morbo, ſi in ullo alio unquam, haud dubie locus, protinus confugitur, qui vel febris aliqua ex parte ſublatae reditui obſiſteret, vel eandem venientem et adhuc intactam ex toto depel-

depelleret? Quare moras nectunt? Quis unquam, cui fides debeat haberi, corticem, rebus ita se habentibus, adhibitum nocuisse testatus est? An signa minus gravia victuque faciliora evasura sperant? Cur non tempus, contra, mox affore reminiscuntur, quo remissiones, quae sub initium in aliquot dies se nonnunquam ostendunt, ex toto evanescent, quo ventriculus multo magis irritabilis erit, corticemque momento rejicere periclitabitur, quo viribus, ratione sensuque magna ex parte destitutus aeger miserandus jacebit, nec consilia medicorum et adstantium intelligere, nec iis, si posset intelligere, parere valens, vivida mortis imago? Qui denique cortice abstinent meticulosi, donec febris longe processerit, finemve versus pervenerit, nonne ducem referre videntur, qui regioni alicui exercituique, qui illam defendat, modico praepositus, et hostes excensionem in terram facere, quotidie numero crescere, telis omnibusque tormentis bellicis melius meliusque instrui videns, utrum eos necne aggrediatur dubitat, donec victoria illis, ignominia

nia dedecuſque ſibi, certa evadant ? Si haec vero, quae modo propoſui, eos, quos maxime ſpectant, parum movebunt, habeo alia dicere, quae longe potentiora ſunt, et corticem Peruvianum ſub initium typhi, remiſſione praeſente vel abſente, ſummo cum commodo adhiberi poſſe demonſtrant. Viro cuidam, qui medicinae diu diligenterque ſtuduit, quocumque amicitia ſtabilis mihi aliquamdiu interceſſit, non pauci aegroti, typho gravi et funeſto ante ſeptem annos aut circiter Edinburgi epidemice graſſante, commiſſi. Hos ad ſanitatem reducere conatus eſt vomitionem, morbo incipiente, praeparatis ex antimonio movendo, eademque poſtea parvis quantitatibus adhibendo, epiſpaſticis, fomentis, vino et cortice ſub finem modice datis, &c. Caeterum partem eorum longe majorem amiſit, et tot pereuntium miſericordia tactus, propemodum arti Hippocraticae valedicere ſecum decrevit. Quaeſtione vero ſequente Gregoriana, quem illo tempore ſummo cum fructu et voluptate audiebat, " May not the Peruvian bark be

be given ſometimes with a view to remove the fever, eſpecially in the beginning, when the remiſſions are diſtinct, and the patient ſenſible enough to take it in ſufficient quantities?" adductus medicinae periculum rurſus facere, et in novam curandi viam procedere ſtatuit. Ex hoc tempore arceſſitus vomitionem per tartarum emeticum, qui alvum etiam modice plerumque ſolvit, protinus concitavit, et remiſſionem facere pro virili conatus. Si haec illam, quod ſaepe contigit, ſubſecuta, et ſpiracula cutis rite aperiri viſa, corticem praecepit. Hic votis fere ſemper reſpondit, pulſus arteriarum e frequentibus, debilibus, abnormibus, tardiores, pleniores, et aequales reddidit, omnia in melius mutavit, febremque denique ex toto diſcuſſit. Quinetiam, ubi vomitus ſub initium motus nec ſpaſmum cutis ſuſtulit, nec diaphoreſin exoptatam praebuit, igiturque ſigna nulla ex parte levavit, ad corticem nihilominus confugit, qui hic quoque eum minime fefellit, quanquam difficilius ventriculo ſedit. Namque

arteriae minus crebro agitari, calor omniumque ſignorum gravitas imminui, et vires aegrotanti refici coeperunt. Quicunque denique corticem non rejecit, et in poſterum ex toto reſpuit, is, ad extremum, ſed tardius quam in exemplo priore, fere ſemper eſt reſtitutus. Non ſilentio praetereundum videtur, quod multi, quibus pulſus arteriarum mirum in modum conciderunt, e centum viginti quinque, aut interdum triginta nonaginta, ſpatio unius diei et noctis facti, biduo, alii triduo omnibus notis febrilibus caruerunt, quodque omnes multo citius, quam facile ſperares, ad integritatem vireſque ſolitas reducti ſunt. Caeterum haec et multa idem genus alia, quae ab eodem viro accepi, non longius proſequar; ſed curationes aliquot, quibus una cum eo hoc anno et ſuperiore ipſe interfui, referre pergam. Mulier quaedam, annos triginta novem aut circiter nata, curae noſtrae primum demandata eſt, nupta, multorum liberorum mater, habitu corporeo, etiam ſanitate ſubſtante, non parum relaxata. Dies per aliquot

quot debilitatem, languorem, laſſitudinem, animum demiſſum, apetitum proſtratum, horrorem et calorem leviculos alternos, &c. prius conqueſta eſt; deinde ſe continuit. Diem totum ante cubuerat, quam eam vidimus. Magnae debilitatis notae, et omnia febris nervoſae nondum longe provectae ſigna propria in ea ſe oſtenderunt. Arteriae centies et vigeſies ſingulis minutis micuerunt. Tartarum emeticum ex aqua ſolutum ei dedimus, qui duas intra horas vomitionem movit; nihil vero ſudoris elicuit, et alvum non ſolvit. Quanquam cutis ſicca manſit, aegrotae nihilominus corticem ingerere non dubitavimus. A quantitatibus parvis, ne ventriculo male ſederet, incepimus; eas vero poſtea gradatim ita auximus, ut unciae duae viginti ſex horarum ſpatio fuerint aſſumptae. Quod exoptavimus, id contigit. Febris gradatim deceſſit, et mulier intra paucos dies officiis domeſticis fungi rurſus coepit. Corticis in novem aliis exemplis, quae accurate depingere non neceſſarium duco, eodem cum ſucceſſu proſpero periculum

lum fieri vidi. In aliis remiſſio per tartarum emeticum adhibitum facta, in aliis iiſque pluribus ſigna nulla ex parte levata. In paucis aliquantum vini cortici, in plurimis, nihil adjectum. Quantum ad quantitatem corticis, quae ſumi conſueverit, attinet, eam pro conditione ventriculi magis minuſve irritabili variavimus. Alii aegrotantium unciam tantum, alii ſeſquiunciam, alii duas fere uncias, ſpatio viginti quatuor horarum, ceperunt. Caeterum, eo magis corticem prodeſſe, quo major ejus quantitas fuerit devorata, ſi modo ventriculus facile poſſet ferre, ſumus comperti. Praeterea corticem in typho, cum dimidium expleverat ſpatium, et finem verſus, ſaepius adhibuimus. Caeterum, quantum ex omnibus quae vidimus exemplis colligi potuit, ratio graviſſima non deeſt unde debeat concludi corticem Peruvianum, febre nervoſa incipiente, omnium remediorum longe optimum et tutiſſimum; aliquantum, immo bene provecta, bonum et nunquam negligendum;

ad

ad finem appropinquante, ancipitem, qui tentetur, minime tamen indignum.

Quaedam ſub initium typhi aliquando ſubſunt, quae uſum corticis maturum vetare videntur, vomitio nempe, tuſſis, ſpiritus gravis, alvus fuſa. Quantum ad vomitionem attinet, quae nonnunquam, typho ineunte, aegrotantes affligit, ea haud dubie tollenda, antequam ad corticem decurritur, alioquin ventriculo non ſedebit. Huic occurri poteſt hauſtibus ſalinis ſtatu effervescentiae datis, opio liberaliter dato, cataplaſmatis e theriaca, ſinapi, laudanoque liquido confectis, ventriculo applicatis. Hac ſublata, ad corticem tuto confugitur. Cavendum ne, febre provectiore, eandem cortice nimis liberaliter adhibendo moveamus; namque ei difficillime obſiſtitur, et, ſi aegrotus corticem ſemel rejicit, eum in poſterum forſitan nunquam poterit retinere. Unum hoc genus exemplum vidi, ubi muliercula corticem evomuit, et nunquam poſtea, licet irritabilitatem ventriculi omni ratione ſedare contenderimus, ſumere valuit, quod plane in cauſa fuit, cur fato tandem conceſſerit. Quantum

tum tuſſim ſpiritumque gravem ſpectat, ea cum morbo ſaepe accedunt, cumque eo tolluntur, et igitur parum reſpicienda. Quod ad alvum fuſam, ei occurrunt enemata, quae inteſtina eluendo eam ſaepe tollunt, tinctura roſarum rubrarum, cui nonnihil cinnamoni vinique rubri fuit adjunctum, opium per ſe adhibitum, corticive ipſi admiſtum. Memoria ſemper tenendum corticem, ſi alvum purgaverit, parum nihilve hoc in morbo profuturum.

Quantum febrem putridam ſpectat, hanc et typhum eodem ſub genere comprehendiſſe ſummo jure videtur illuſtriſſimus Cullenus. Namque febris putrida nihil aliud quam typhus, in quo notae putredinis ſe oſtenderunt. Quae, ſi adſunt, ad corticem Peruvianum quam maturrime decurri, et in uſu ejus liberali conſtanter diuque perſtari debere, evidenter planeque teſtantur. Exempla in monumentis medicinae innumera reperiunda, quae ut hanc curandi viam e nixe ſequamur impellunt. Inſigne apud Huxhamium offendes, ubi cortex vino aci diſque adjunctus aegrotum ſemiputridum ex

ex toto reſtituit, quod humores humanos quam maxime corruptos et vitiatos ad ſanitatem poſſe reduci, et nihil fere deſperandum clare demonſtrat.

c. *In ſynocho.*—Dum inflammatio huic febri ſub initium propria invaleſcit, nullus cortici locus. Quamprimum vero diatheſeos phlogiſticae deceſſerunt notae, natura vel arte ſublatae, ad corticem cum fructu confugies. Quo maturius adhibueris, eo citius tutiuſque aegrotum ad ſanitatem reductum iri ſperes. Diatheſis phlogiſtica hic, quam alibi, minus timenda; namque ſaepiſſime fugax eſt, et rarius corpori alte inſidit.

4. *In phlegmaſiis.*—In his nullus cortici locus eſſe poteſt, niſi, in morem celebris Jacobi, inflammationem ſanguinis miſſione et antimonio prius diſcuſſerimus. Deinde cortex tonum ſyſtemati comparando reditum morbi praecavebit.

5. *In exanthematis.*—Hic ſaepe profuit rite adhibitus. In eryſipelate, exempli gratia, ubi febris, quae id comitatur, typhus eſt;

eſt; et in variola, ubi puſtulae chryſtallinae non rite elevantur, et ſuppuratio tarde procedit, et ubi febris ad putredinem plane vergit.

6. *In haemorrhagiis.*—In his cortex nequit adhiberi, niſi ab atonia alicujus partis et laxitate proficiſcantur.

7. *In profluviis.*—In catarrho ad corticem non poteſt confugi, dum pyrexia ſubeſt; ſed laxitati, quae poſt morbum manet, eo apte occurres. In dyſenteria viribus ſuis antiſepticis et tonicis, evacuationibus rite prius adhibitis, multum prodeſt; ſed potiſſimum, cum flaccíditas canalis alimentarii, morbo ad finem perducto, ſupereſt.

Quaecunque hos quatuor poſtremos febrium ordines ſpectant, ea quam leviſſime percurri, reliquas febres fuſius jam executus.

Opuſculum, ut potui, ad finem perduxi. Quae comprehendit, cum vera ſint, utcunque animadverſa aut exiſtimata erunt, haud in magno equidem ponam diſcrimine.

FINIS.